

## ANHANG 1

### Oracio funebris Iohannis Rot de casu illustris comitis Ulrici de Cilia

(1) Optarem, p[atres] r[everendi] et nobiles lacrimosi ac singultibus abundantes, vestris posse praestare animis, quod ipsi ore intento a me fieri exposcitis. (2) Nam video, quod prestolamini, ut hoc narrationis officio imbribus lacrimarum caligan[tes] oculos parcere fletibus compellam<sup>a</sup> et fessa gemitibus pectora mulceam rauacasque clamoribus fauces claram vocem et consuetam in aera proferre perurgeam. (3) Sed quoniam cum mecum repeto iacturam hodie susceptam, stragem, quam hec nostra patria patitur et dolenter sustinet, calumpniam huius inclite domus, vix me a lacrimis tempero. (4) Quis enim huius diei calamitatem complectetur, qua nunquam nostri temporis mortalibus odiosior visa est, quis enim huius diei dispendium<sup>b</sup> enarrabit omni suo ablato presidio, omni quassato munimine, quacunque spe orbatus<sup>c</sup>, quis denique huius altissime ac vetustissime domus excidium omnemque ruinam predicabit? (5) Nil igitur miri, si vos, patres r[everendi] ac clarissimi viri, ubertim lacrimas spargitis, si pectora palmis tunditis<sup>d</sup>, si rugitibus celum pulsatis<sup>e</sup> his omnibus, ymmo verius futuris periculis ante mentis aciem preconceptis, precipue sibi coniuncti sanguine<sup>f</sup>. (6) Inter quos ille orbatissimus princeps<sup>g</sup>, rex Ladislaus, non longo sibi gradu consanguinitatis coniunctus, cuius tanto intensior fit dolor, quanto maiori munere se privatum conspexit quoque fidelissimam tutelam suscipiebat<sup>h</sup> suoque sepius delectabatur aspectu; fiet profecto, ut tanto amplius torquebitur, quanto eius meror dietim magis in dies succrescit, quanto eciam fructum, quem ex ipso uberiorem<sup>i</sup> suscipere speraverat, penitus modo sentit amisisse et omnem suam spem cum ipso morteque eius cassatam

<sup>a</sup> compellam / compellitis cod.

<sup>b</sup> diei dispendium / diei calamitatem dispendium cod.

<sup>c</sup> orbatus / orbato cod.

<sup>d</sup> tunditis / tunderetis cod.

<sup>e</sup> pulsatis / pulsaretis cod., at ante hanc vocem in fine lineae divisit tun-deretis et deretis in sequenti linea cancellavit cod.

<sup>f</sup> post sanguine canc. fies (?) cod.

<sup>g</sup> ante orbatissimus princeps canc. clarissimus princeps cod.

<sup>h</sup> ante suscipiebat canc. suspect cod.

<sup>i</sup> fructum – uberiorem / fructum quem ex ipso fructum uberiorem ex ipso cod.

cognoscit. (7) Nec minus eius fidelissimi servitores et fere cuncti huius patrie religiosi, sacerdotes, incliti nobiles et plebey optimo suo destituti presidio et orbati parente, qui oberrant natantes, veluti cum navis rectore fluctibus submerso quamlibet accipit ventorum violenciam et per vasti maris solitudinem incomposita pervagatur tempestatibus ruitura. (8) Pretereamne thori eius consortem, mulierem castissimam, que tanto sibi erat iuncta caritatis vinculo, ut, cum pridie lamentabilis novitatis rumor ad eam pertingeret, omnibus eius viribus pre nimio doloris aculeo medullitus resolutis crebris vicibus visa est in extasim corruisse? (9) Contestantur eius uberrime lacrime, creberrimi ululatus, sparsi crines, lacere gene, totum eius corpus maeie confectum in sui dilectissimi coniugis extremo die suique refugii diruto asilo. (10) Et quamquam nos omnes morte eius ceu<sup>j</sup> tanti principis maxime desolatos conspiciemus, ad nullum tamen maior de illo calamitas perventura [est] quam ad sacrosanctam universalem ecclesiam et illam benedictam cruce signatorum multitudinem, quos his turbatis temporibus per Allemanicas, Germanicas et Illiricas nationes optimo bellorum duce et primipilario orbatis consternatis animis<sup>k</sup> undique dispersos errare conspicio carentes sive carituros eo, sub cuius presidio adversus priscos hostes gladios preliaturi accingerent nomen Ihesu Christi clarificaturi. (11) Hic siquidem erat vir armis strenuus, animi virtute clarissimus, quod eius celeberrimum nomen omnes reges et principes, quos totus orbis salutat diviciis, a Gange usque ad Herculeos Gades ob ipsius preclara facinora summa gloria penetravit, qui nedum prestancia corporis, sed et rerum gestarum consiliorumque excellentia omnem equestris ordinis nobilitatem exornabat. (12) Extinctumque est hodie prefulgens equestris culminis lumen, quo profecto neminem rei militaris pericia neque superiorem neque fortasse parem (pace omnium dixerim) hec nostra secula protulerant. (13) In ipsum namque unum, quicquid fortuna excogitare pot[u]erit, quasi in confectissimam omnium huius seculi bonorum officinam integerrime ita congestum est cumulatumque, ut nihil praeclari inter principes seculi perquiri de homine militari potuit, quod ille non ex integro aut vivendo vel moriendo perfotiter non adimplesset. (14) Dolete igitur, reges singuli, plangite, pricipes universi, deplange, o tenerrime Ladislae, regum innocentissime, mortem tui fidelissimi cognati, quoniam tante spei thesaurum inestimabilem perdidisti, cum sua taliter fila intempestiva immitis Parcarum manus inopinate dissolvit et sue medios etatis annos falce crudelis fati demetitur ante diem. (15) O miles perfide, perfidie miles, milies mille mortibus digne, cur in adopcionis patrem, cui pridie indissolubili vinculo te filium devovisti, tantis accensus furiis, crudelissime, tam ilico degenerasti. (16) O nefanda crudelitas, o superba

---

<sup>j</sup> ceu / seu cod.

<sup>k</sup> animis / animo cod.

temeritas, o rabies truculenta! (17) Videte singuli crudelitatem horridam, videte nequiciam detestandam, cum in principem christianum adversus Agarenam perfidiam vota sua dirigentem sevi ac inhumani militis sevicia tanquam secundi Neronis impietas inhumaniter neronisat! (18) Plange, infelix ac infortunata Pannonia mater, quod intra tua viscera alumpnum proprium ac fidelissimum propugnatorem ob tuam redempcionem libertatemque contendentem vidisti, proch dolor, asperrime vita fractum! (19) Constat namque nos dominum et principem nobis pacificum rerumque et fortunarum nostrarum protectorem habuisse, sed quem qualemque habituri simus, penitus ignoramus. (20) Plebs enim semper gaudet novitate domini, sed, ut in plurimum, novitatem principatus consequitur dissueta<sup>1</sup> novitas legis novaque crebro honera, munera ac vectigalia statuuntur, propter quod Samuel propheta domini filios Israel acclamantes sibi novum constitui regem corripit dicens: Iura autem regis hec sunt etc<sup>m</sup>. (21) Formidandum itaque est nobis, karissimi, et consequentur sedulo deprecandum, ne quondam secula aurea, que post in erea, deinde in ferrea, et tandem penitus in lutea transformentur. (22) O Panonia deo hominibusque molesta, o gens Hunorum crudelissima, o Scite fraudulenti, cedis et cruoris humani avidissimi, leva oculos tuos et vide, ne sanguis regum et principum catholicorum de manibus tuis requiratur, et circum te caute prospice, ne Cerberus canis iste infernalis de regionibus tenebrarum prosiliens ore suo trifaci te sibi subigat, degluciat<sup>n</sup> et propter inveterata crimina ad caliginem tenebrosam in gravem christiane religionis ruinam deducat! (23) Numquid tu expers poteris esse societatis occulta ab eo, cui caput sacro perunctum crismate []<sup>o</sup> pro singulari munere offerre cupiebas?

(24) Ne tamen a proposito magis soliti mea divagetur oracio, ad intentum meum regrediar. (25) Finis itaque huius prime partis esto, quoniam si huius principis strenua gesta, opes et fortunas, precipue eius tam infelicem exitum deplangere satagitem sufficienter, tota dies cederet<sup>p</sup> oracioni neque sufficerent lacrime David super morte Jonathe et filii sui Absolon, quos unice diligebat, accomodandusque mihi veniret ploratus et ululatus Rachel deplorantis filios suos, quia non sunt<sup>q</sup>, et luctuosus fletus Nyobe Amphiona maritum suum cum liberis acerbissime deplangentis.

(26) Sed cum sit, p[atres] r[everendi] et nobiles incliti, omnium hominum una lex oportere aliquando ex hac, qua vescimur, aura et mortalium luce

---

<sup>1</sup> post dissueta canc. nositas cod.

<sup>m</sup> 1 Reg 8, 11–13.

<sup>n</sup> ante degluciat canc. decl cod.

<sup>o</sup> aliquot verba deesse videntur

<sup>p</sup> ante cederet canc. t cod.

<sup>q</sup> cf. Ier. 31, 15

migrare, neque proficere quicquam in cassum iacte lacrime neque revocari flendo extreme iacture possint, ad digniora nobis, p[atres] et nobiles clarissimi, mens animusque vertendus est. Quis enim natus hactenus est, qui non post aliquot<sup>r</sup> dies vita functus esset<sup>s</sup>? (27) Mortalitatem enim dii immortales et natura hominibus statuerunt, ymmo cunctis animantibus tribuerunt, quorum voluntati nemo est, qui possit resistere. (28) Morti enim resistere temerarii conveniens est. (29) Nam ea quidem talis est, ut differri quidem possit, evitari autem minime. (30) Et licet varia sint genera mortis, quoniam alii incendio, alii acquarum suffocatione, hii cedis calamitate extincti esse dicantur, tanto tamen equiori animo hic acerbissimus casus ferendus est, quanto maiori furore zeloque adversus Agarenam Thurcorumque rabiem multo milite<sup>t</sup> Christi nomine bellaturum se concinxit. (31) Quod si maius hoc nobis videtur esse vulnus, quam ferri ab ullo unquam potuit, debemus animos nostros ab hac cogitatione parumper avertere et ad aliorum graves casus referre. (32) Preponamus ergo nobis ante oculos nostros clarissimorum ac potentissimorum regum miserabiles exitus maximarumque urbium eversiones, cogitemus opulentissima regna deleta! (33) Ubi Cresi divicie et thesauri infiniti? Ubi Assiriorum ac Grecorum imperia? Ubi Darii opes? Ubi Astiages et Medorum regnum? Ubi Cirus ille priscus, ubi denique Romana immensa potencia? Quem exitum consequuta fuerunt? (34) Quae omnino tam florentissima forent, repente fortune impetu omnia corruerunt<sup>u</sup>. (35) In quorum consorcium casum et infelicem exitum nostri illustrissimi principis non immerito reponamus, quae singula luctum nostrum etsi non tollere penitus, attamen possunt minuere vel saltem lenire. (36) Sed etsi dolore iubeat hic casus nosque tanti viri excidium ad suspiria vocet, omnem sedabit merorem, omnem secludet mesticiam, si participes recionis erimus et summi opificis inscrutabilis voluntatis. (37) Componamus itaque animos nostros et quisque sui vitalis corporis dissolucionem se passurum esse vel aurora vel solis estu vel ipso in vespere diligenter agnoscat. (38) Cedant inanes cogitationes, casse et vacue cure huius flebilis aure, istius caliginosi habitaculi, huius nefandi et horrendi hospicii. (39) Quis enim intelligens et ratione utens, qui non facile transcendat [sciens,] quam jocundum, quam amenum sit hoc tenebroso solvi carcere, liberum spiritum habere nec quicquam terrene molis sencientem et in illis floridis campis Elisiis<sup>v</sup> dulcissime pervagari? (40) Et quis eciam tam ebies ingenii est, qui non comprehendat, quam angustum, quam arduum sit hac fece terrena premi, hoc calamitoso intercludi laberinto? (41) Postposita igitur omni elimata ac subtili compo-

<sup>r</sup> aliquot / aliquos cod.

<sup>s</sup> esset / erat alias eat cod.

<sup>t</sup> multo milite / multo milite alias multa milicia cod.

<sup>u</sup> corruerunt / corruerunt conciderunt cod.

<sup>v</sup> Elisiis / Elisos cod.

sacione verborum<sup>w</sup> recipiamus consolacionem pacientissimi Iob dicentis: Scio enim, quod redemptor meus vivit<sup>x</sup> etc. (42) Deinde consolacionem aliam anteponamus oculis nostris apostoli doctoris gencium: Nolite contristari sicut ceteri<sup>y</sup> etc., unde beatus Augustinus Aurelius: Non amisimus, sed prae-misimus, qui de hoc seculo recesserunt.<sup>z</sup> (43) Revocemus ergo animos nos-tros, qui cum superis ratione participamus, siccemus oculos nostros et hunc gloriosum principem, quem a terrenis vinculis absolutum cernimus, magno plausu eterne felicitatis participem fieri exoremus, ponamus lacrimas et tristia pectora, voces raucas claras reddere studeamus. (44) Clamemus ad eum, cuius nos figmentum esse cognovimus, ut nobis, quod utile novit, tri-buat, a nobis hos compedes auferat, solvat hec vincula, conferat frui per-pe-tua ac inaccessibili luce, quam omni in tempore eum diligentibus possiden-dam traditurus est hic cum gratia et in futuro cum gloria. Amen.

(Cod. Cremifan. 10 [Stiftsbibliothek Kremsmünster], 288r–289v)

---

<sup>w</sup> verborum / verborum et cod.

<sup>x</sup> *Job 19, 25*

<sup>y</sup> *1 Thess. 4, 13*

<sup>z</sup> *epist. 92,1*

